

ipsam aliquid desinit esse, et nihil per ipsam incipit esse, nec aliquid per eam producitur; et hoc modo conceditur istam actionem esse annihilativam. Alio modo, quia nec per ipsam producitur aliquid, nec est dispositio ad productionem nec ad acquisitionem alicujus positivi termini, nec subordinatur alteri actioni productivae vel acquisitivae positivi termini; et isto modo negatur dictam actionem esse annihilativam; quia talis actio est dispositio ad hoc quod corpus Christi sit sub speciebus Eucharistiae, et subordinatur actioni divinae, qua positivus terminus acquiritur. Et ideo dicta actio non est annihilativa simpliciter, sed secundum quid; immo potest dici acquisitiva dispositio novi et positivi termini. Ponere autem actionem creaturæ primo modo annihilativam, non est inconveniens.

Ad secundum dicitur primo, quod ideo virtus quam ponimus in verbis, est transiens, et non permanens, quia non est nisi ad unum effectum; et ideo, habito tali effectu, cessat. Virtus autem et character ministri est ad plures effectus; et ideo est permanens, et non transiens. Et hanc solutionem dat implicite sanctus Thomas, octava distinctione, q. 2, art. 3, in solutione octavi, ubi sic dicit: « Valde conveniens est quod omne quod est propter aliquid, desinat esse, perfecto eo ad quod erat. Et quia virtus illa non erat ad perfectionem ejus cui dabatur, sed magis ad faciendum conversionem de qua loquimur, cum sit tantum virtus instrumentalis; ideo non est inconveniens, si, statim conversione facta, et verba et virtus verborum desinat esse. » — Hæc ille. — Item, in solutione noni, sic dicit: « Quando aliquod opus perficitur pluribus instrumentis, virtus instrumentalis non est complete in uno, sed complete in utroque; sicut manu et penna scribitur. Et similiter contingit in proposito: quia virtus instrumentalis ad faciendum predictam conversionem, non tantum est in verbo, nec in sacerdote, sed in utroque complete; quia nec sacerdos sine verbo, nec verbum sine sacerdote, confidere potest. Et quia sacerdos similior est agenti principali quam verbum, quia gerit ejus figuram, ideo, simpliciter loquendo, sua virtus instrumentalis est major et dignior; unde et permanet, et ad multos effectus hujusmodi se habet; virtus autem verbi transit, et ad semel tantum est. Sed secundum quid est potior virtus verbi, in quantum effectui propinquior, quasi signum ipsius; sicut etiam penna est propinquior scripturae, sed manus scribenti. » — Hæc ille. — Ex quibus apparet nullitas argumenti, et responsio ad duplarem quæstiōnēm quam continet.

Cum autem ulterius dicit quod nobilitas instrumenti non attenditur ex aliquo inherente, sed ex nobiliore termino inducto, etc.; — dicitur quod illa copulativa implicat contradictionem: quia, si instrumentum nobilem terminum inducit, oportet quod

habeat nobilem virtutem inhærentem, vel inexistentem, naturalem, vel supernaturalem, aut violentam, vel hujusmodi. Rursus, cum, secundum arguentem, sacramentum nihil vere et realiter inducat in suscipiente, non potest dici nobile propter quemcumque terminum ab alio agente inductum; licet posset dici nobile signum, non tamen nobile instrumentum. — Similitudo autem de medicina adducta, nihil valet ad propositum; quia illud quod nihil penitus efficit ad expulsionem morbi, nec ad inductionem sanitatis, non potest dici medicina, nee illo modo instrumentum inductivum sanitatis, ut alias dictum fuit (dist. 1, q. 2, art. 3, § 4, ad 4^{um}).

Ad tertium dicitur quod virtus que est in verbis sacramentalibus, non est ejusdem rationis cum charactere qui est in ministro, ut alias dictum est, prima quæstiōne primæ distinctionis hujus quarti (art. 3, § 4, I, ad 2^{um}). — Dicitur secundo, quod, posito quod haec virtus et illa essent unius rationis, tamen ratio in oppositum inducta non valet: quia quando ad aliquem effectum requiruntur duo instrumenta diversarum rationum, quantumcumque virtus unius intendatur, non sufficit ad effectum sine virtute alterius; sicut patet de manu et penna respectu scripture. — Dicitur tertio, quod positio nostra non negat paeta Dei cum sua Ecclesia, nec assistantiam virtutis divine cum ministris sacramentorum; sed ponit quod, praeter illud pactum, et talem assistantiam, sacramenta et eorum ministri aliquid instrumentaliter operantur ad ultimam rem sacramentorum, non quidem principaliter, sed instrumentaliter et dispositio; et quod non sunt solum causa *sine qua non*, nec solum signa, quæ (z) nihil penitus intrinsecus operantur, sicut ponit arguens et ceteri partis adverse. Quia, sicut arguit Petrus de Palude (dist. 1, q. 1), et absurdum videatur quod Deus non aliter agat in sacramentis ad justificandum, quam diabolus in sortilegiis ad malefaciendum, scilicet ex pactione; herba vel charta ponenda (6) sub lecto vel limine, et nihil penitus agente; aut quod verba sacramentalia nihil plus faciant, nec minister, quam verba incantatoris (7), aut ipse; sed, sicut illis dictis, ex pactione, daemon agit in serpente, trahendo venenum, vel mortificando, vel aliquid hujusmodi, sic esset in proposito. »

Ad quartum dicitur, negando antecedens. Unde sanctus Thomas, vigesimaquarta distinctione hujus, q. 4, art. 2, in solutione secunde quæstiunculae, sic dicit: « Circa hoc fuit triplex opinio. Quidam dixerunt quod in solo ordine sacerdotali imprimitur

(a) *qua*. — Om. Pr.

(6) *herba vel charta ponenda*. — *herba vel charta ponenda* Pr.

(7) *incantatoris*. — *incantatorum* Pr.

character. Sed hoc non videtur verum : quia actum diaconi nullus potest exercere licite, nisi diaconus; et ita patet quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam alii non habent. Et, propter hoc, dixerunt alii, quod in saeris ordinibus imprimitur character, non autem in minoribus. Sed hoc iterum nihil est : quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatae ad sacramentorum dispensationem; unde, cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus imprimatur character. Cujus etiam signum est, quod perpetuo manent, et nunquam reiterantur. Et haec est tertia opinio, quae communior est. » — Haec ille. — Et cum dicit arguens, quod ad actum diaconi et subdiaconi non oportet ponere qualitatem a qua profluat operatio, etc.; — responsum est supra, ex dictis Petri de Palude (dist. 4, q. 2), in solutione ad quintum Scoti, quod character sacerdotalis, et potestas episcopalis, est principium exercendi operationem hierarchicam simpliciter; character autem aliorum ordinum est principium exercendi operationem ex officio. — Cum autem dicit arguens, quod non subdiaconus aequa bene et faciliter legit Epistolam, etc.; — non valet. Unde sanctus Thomas, ubi supra (dist. 24, q. 4, art. 2, q^a 2), in solutione primi, sic dicit : « Quilibet ordo vel habet actum circa ipsum sacramentum, vel ordinatum ad sacramentorum dispensationem: sicut ostiarii habent actum admittendi homines ad divinorum sacramentorum inspectionem; et sic de aliis. Et ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas. » — Haec ille. — Cum autem dicit arguens, quod nulla est dispositio in baptismo respectu gratiae, etc.; — dictum est alias (dist. 1, q. 1, art. 3, § 3, III, ad 2^{um}), quod, quidquid sit de hoc, tamen congruentius dicitur quod dispositio ad gratiam sit aliquid spirituale, sicut nos ponimus, quam aliquid mere corporale, cuius capax potest esse asinus, puta exterior ablutio. Unde illa positio derisibilis est.

Ad quintum dicitur quod duplex est potentia susceptiva. Nam quedam recipit cum violenta abjectione alicujus actus preeexistentis convenientis naturae; et talis potest dici impotentia. Alia vero recipit sine tali abjectione, sicut diaphanum, et potentiae cognoscitive, sensitivae et intellectivae; et tales non dicuntur impotentiae. Unde, si hoc argumentum valeret, utique probaret quod nec visus nec intellectus debent dici potentiae, sed quedam impotentiae, quia suscipiunt speciem sui objecti. Unde patet quod in proposito non valet; quia character non est potentia susceptiva primo modo, sed secundo modo.

Ad sextum, negatur assumptum. Si enim talis species imprimetur in baptismo, tunc adultus non impeditus posset per illam cognoscere animam Christi propria et distincta cognitione; quod non experimur.

Tunc, *ad primam probationem* negati, dicitur quod divisio ibidem data, est insufficiens : quia induere Christum potest quis non solum modis ibidem recitatis, sed aliter, puta per participationem sacerdotii Christi et ejus spiritualis potestatis, ut supra (α) dictum est. Unde, sicut sepius dictum fuit, character est talis participatio et configuratio ad Christum. — Item, dico quod *prima auctoritas adducta intelligitur* (6) de inductione Christi per gratiam et virtutes et imitationem actionis et passionis. Improbatio hujus intellectus non valet : quia Paulus loquitur de suscipiente baptismum, quoad sacramentum et rem sacramenti proximam et remotam, scilicet characterem et gratiam, non autem de sive accendentibus, qui non utrumque recipiunt. Alter respondet Glossa super eodem loco, dicens : *Induunt homines Christum aliquando usque ad perceptionem sacramenti, aliquando etiam usque ad ritus sanctificationem. Et illud primum bonis et malis commune est, hoc alterum vero proprium est honorum.* — Haec Glossa. — Item, beatus Thomas, 3 p., q. 69, art. 9, in solutione primi, sic dicit : « Baptizari (α) in Christo potest intelligi dupliciter. Uno modo, in Christo, id est, in Christi conformitate; et sic quicunque baptizantur in Christo, conformati ei per fidem et charitatem, Christum induunt per gratiam. Alio modo, dicuntur aliqui baptizari in Christo, in quantum sacramentum Christi accipiunt; et sic omnes induunt Christum per configurationem characteris, non autem per conformitatem gratiae. » — Haec ille. — Patet ergo quod character non est Christi, nec animae Christi; sed est similitudo potestatis Christi, accipiendo large similitudinem, pro qualicumque participatione vel forma participata, et non pro specie intelligibili, sicut putat arguens.

Ad alias duas auctoritates Pauli, dicitur quod *imago Christi* non solum potest dici species animae Christi, verum etiam participatio sacerdotii Christi et sue spiritualis potestatis, vel conformitas ad gratiam et virtutes et vitam Christi, et finaliter ad gloriam et beatitudinem Christi. Unde illae auctoritates nullo modo sunt ad propositum, sicut patet insipienti glossas illarum.

Ad primam auctoritatem Dionysii, dicitur quod ex illa habetur quod character pertinet ad intellectum, ut ostendit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 3, in solutione tertiae quæstiuncule, non autem quod sit species intelligibilis. Unde argumentum peccat per fallaciam consequentis; quia ad intellectum pertinet potentia intellectiva, et species, et habitus, et actus.

(α) Cfr. praesertim ea que dicta sunt in praesenti paragr., I, ad 4^{um}, in response ad secundam probationem.

(6) *intelligitur*. — *intelligatur* Pr.

(γ) *Baptizari*. — *Baptismum* Pr.

Ex secunda vero auctoritate Dionysii, concluditur quod per characterem quis configuratur Christo, sicut cera sigillo. Hæc tamen configuratio non oportet quod fiat per speciem intelligibilem; sed alio modo fit. Unde similiter peccat hoc argumentum, sicut præcedens.

Ad rationem ultimum inductam, patet, per predicta, quod peccat per fallaciam consequentis. Immo, si aliquid valet, concludit oppositum illius quod intendit: quia, si character non sit aliud quam expressa species animæ Christi, non apparet rationalis modus distinguendi characteres sacramentales specificè; nisi dicatur quod character sacerdotalis, vel potestas episcopalis, aut papalis, sit expressissima similitudo animæ Christi, non sic de aliis characteribus. Ex hoc autem quot sequuntur inconvenientia, quis non videat! Similiter, sequeretur quod Papa expressius intelligit animam Christi quam aliquis viator, et episcopus quam simplex sacerdos, et sacerdos quam non sacerdos; quod est falsum.

III. Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi contra eandem conclusionem, patet responsio per predicta: quia character baptismi non est potentia activa, sed passiva. Nec valet objectio de virtute sacramenti: quia illa ordinatur ad agendum, ideo oportet quod sit potentia activa; sed character baptismi non ordinatur ad agendum, nec ad ministrandum, sed solum ad suscipiendum, ut sepius dictum fuit.

Ad illud quod objicit contra characterem ordinis, quod scilicet non debet esse res permanens, sed transiens, sicut virtus que ponitur in verbis, etc.; dicitur quod hoc nullam habet probabilitatem, quia non est simile hinc inde, ut dictum fuit in solutione secundi arguimenti Aureoli.

Ad confirmationem, dicitur quod non baptizatus, quando alium baptizat, non facit aliquid in anima baptizati, nec tanquam agens principale, nec tanquam instrumentale; sed applicat activum suo passivo, scilicet sacramentum homini; et ideo non oportet quod habeat aliquam virtutem supernaturalem permanentem aut transeuntem. Secus est de ministris aliorum sacramentorum. Ideo ulterior consequentia facta non valet. Et de hoc satis dictum est in solutione quinti argumenti Scoti, recitando verba Petri:

Cum autem ulterius vult probare quod in nullo ministro ponenda sit virtus activa, que remaneat cum privatione gratiæ; — respondet Petrus de Palude (dist. 4, q. 2), quod « illa ratio non valet. Quia omnis forma que est principium operandi quocumque, sive remotum, sive propinquum, est principium essendi formaliter; cum omne quod agit, agat secundum quod est actu. Sed non convertitur: quia aliquid est principium essendi, quod non est principium operandi immediate, sicut est

forma substantialis; vel nullo modo, sicut quantitas, vel relatio, aut aliquid hujusmodi. Illa ergo forma accidentalis (2), quæ sic est principium essendi, quod non operandi, saltem immediate, congrue ponitur inesse illi subjecto quod est principium essendi, non autem principium operandi immediate, ut sic perfectio et perfectibile sibi invicem correspondant. Et, propter hoc, gratia, que nullius operationis est principium immediate, congrue est in essentia, et non in potentia. Sed omnis forma que est immediate principium agendi, vel patienti, superaddita essentiae et potentiae, congruentius ponetur in potentia, que similiter est principium immediatum, quam in essentia, que solum est principium remotum. Et quia hujusmodi est character, ideo congrue ponitur in potentia. — Et cum dicitur quod, destructo principio essendi, destruitur principium operandi, — verum est de illo quod fundatur super illud principium. Principium enim operandi meritorie, quod est charitas, fundatur super principium essendi, quod est gratia; unde, destruta gratia, destruitur charitas. Sed principium operandi active vel passive actiones hierarchicas, non est gratia; immo gratia est terminus et finis, quia ad hoc exercentur, ut gratia habeatur. Nec pro tanto dicitur character principium operandi, et gratia principium essendi, quod unum respondeat alteri sicut fundamentum; sed quia, quantumcumque sint disparata, principium essendi et non operandi debet esse in essentia sibi conformi (6), sed principium operandi in potentia. » — Hæc ille. — Sed hæc solutio videtur dubia: quia non videtur quare nec quomodo charitas, que est principium operandi, magis fundetur super gratiam, que est principium essendi, quam character; cum tam charitas quam character sint in alio subjecto quam gratia, charitas quidem in voluntate, character in intellectu, gratia vero in essentia animæ; et sic gratia neutrum illorum fundat subjective. Nec apparet ex dictis ejus alia fundatio. Non enim gratia fundat characterem eo modo quo absolutum fundat relationem, aut subjectum vel ratio subjiciendi fundat accidentem. Nisi forte dicatur quod gratia fundat charitatem per modum cause vel effectus prioris naturali prioritate, sicut intellectus voluntatem, ita quod naturaliter prius producitur et infunditur gratia quam charitas, licet simul tempore vel duratione, nec charitas est dispositio vel aliquo modo prævia ad gratiam; non sic autem fundat characterem, cum character sit dispositio ad gratiam, non econtra.

Possit etiam aliter dici ad argumentum Durandi quod major argumenti est vera solum et duntaxat quando principium operandi necessariam connexionem habet cum principio essendi, sicut potentia

(2) *accidentalis.* — *actualis* Pr.

(6) *conformi.* — *conformari* Pr.

animæ cum essentia ejus; non autem ubi inter illa principia non est talis necessaria connexio, sicut inter gratiam et fidem et spem. Quod contingit potissimum quando principium essendi in aliqua natura, vel vita, non est principium essendi simpliciter, sed principium bene essendi, vel bene se habendi in tali natura. Principium vero operandi ordinatur ad operandum simpliciter; et non ad bene operandum. Sic autem est de gratia respectu characteris, et similiter de gratia respectu virtutum quae possunt esse informes, cujusmodi sunt fides et spes, ut dictum est. Et multis aliis modis potest dici pro nullitate illius argumenti.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM ET TERTIAM CONCLUSIONES

I. Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scoti contra secundam et tertiam conclusiones, dicitur, negando minorem; loquendo de dispositione indirecta vel remota. Unde ad hoc argumentum respondeat sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 4, in solutione primi, ubi sic dicit: « Subjectum alicui accidenti attribuitur secundum rationem ejus ad quod propinquus disponit, non autem secundum rationem ejus ad quod disponit remote vel indirecte. Character autem directe quidem et propinquus disponit animam ad ea quae sunt divini cultus execienda. Et quia haec idonea non sunt sine auxilio gratiae, quia, ut dicitur, Joán. 4 (v. 24), *Eos qui adorant Deum, in spiritu et veritate oportet (z) adorare*, oportet, ex consequenti, quod divina largitas recipientibus characterem gratiam largiatur, per quam digne impleant ea ad quae deputantur. Et ideo character magis est attribuendum subjectum secundum rationem actuum ad divinum cultum pertinentium, quam secundum rationem gratiae. » — Hæc ille. — Item, prima questione hujus distinctionis, art. 3; q^{ta} 1, in solutione primi, sic dicit: « Dispositionem esse in eodem subjecto cum eo ad quod disponit, non est necesse, nisi quando dispositio postea fit perfectio: sicut scientia quæ prius fuit dispositio, postea fit habitus; et ideo scientia dispositio et scientia habitus sunt in eodem subjecto proxima. Non autem hoc oportet quando dispositio et perfectio differunt per essentiam; sed possunt esse in diversis subjectis, et præcipue quando illa diversa habent ordinem ad invicem; sicut operatio sensibilis, est dispositio ad intelligibilem operationem. Et similiter character est dispositio ad gratiam. » — Hæc ille. — Ex quibus apparet quid dicendum ad argumentum. Item: actus liberiarum arbitrii in adulto est dispositio ad infusionem gratiae, et similiter displicentia peccati, et dolor sensualitatis, et actus multarum potentiarum anime; gratia autem, secun-

dum communem doctrinam, ponitur subjective in essentia animæ, quæ ordine naturæ præcedit omnes potentias; non ergo est inconveniens dispositionem ad aliquam formam inesse subjective subjecto posteriori secundum naturam subjecto formie ad quam disponit. Item, complexio corporis est dispositio ad animam et ejus potentias, ita quod secundum diversitatem corporum est diversa nobilitas animarum et potentiarum animæ, ut alias, in *Secundo* (dist. 32, q. 1), visum fuit.

Ad secundum patet responsio ex dictis Petri (dist. 4, q. 2) in solutione argumentorum Durandi contra primam conclusionem recitatis. Quia, sicut ibidem dictum est, illud quod est principium essendi supernaturaliter, et non est immediatum principium operandi, debet poni esse subjective in essentia animæ, et non in aliqua potentia. Illud autem quod est immediatum principium operandi, debet inesse potentia animæ, et non essentia. Et ideo gratia ponitur in essentia animæ, character autem in potentia. — Quod autem objicitur, de habitu supernaturali et naturali, non habet apparentiam; quia habitus non est natus subiecti sicut potentia animæ. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 4, ubi arguit sic, secundo loco: « Potentia animæ non videtur esse subiectum alicujus, nisi habitus vel dispositionis. Sed character non est habitus, nec dispositio, sed magis potentia, cujus subiectum non est nisi essentia animæ. Ergo videtur quod character non sit, sicut in subiecto, in potentia animæ, sed magis in essentia ipsius. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod essentia animæ est subiectum potentiae naturalis, quæ ex principiis animæ procedit. Talis autem potentia non est character, sed est quedam spiritualis potentia ab extrinseco adveniens. Unde sicut essentia, per quam est naturalis vita hominis, perficitur per gratiam, qua anima spiritualiter vivit; ita potentia naturalis animæ perficitur per spiritualem potentiam, quæ est character. Habitus enim et dispositio pertinent ad potentiam animæ, eo quod ordinantur ad actus quorum potentiae sunt principia. Et, eadem ratione, omne quod ad actum ordinatur, est potentiae attribuendum. » — Hæc ille.

Ad tertium, negatur antecedens. Et ad probationem illius, dicitur quod perfectio naturalis, cujusmodi (z) sunt potentiae animæ, prius inest animæ quam potentia vel perfectio supernaturalis; loquendo de prioritate durationis vel naturæ, non autem de prioritate immediationis: nam aequo immediate inest essentiae anime gratia sicut intellectus vel voluntas, que sunt potentiae naturales; non autem ita inseparabiliter vel necessario. Et ideo non oportet quod gratia sit subjective in aliquo posteriori ad essentiam anime, puta in aliqua potentia. Unde ad

(a) *oportet*. — Om. Pr.

(z) *cujusmodi*. — *cujus* Pr.

hoc argumentum (2) solvit sanctus Thomas, *de Veritate*, q. 27, art. 6. Arguit enim sic, tertio loco : « Gratuita presupponunt naturalia. Sed potentiae sunt naturales proprietates animae, secundum Avicennam. Ergo gratia non est in essentia animae, nisi praesupposita potentia; et sic est immediate in potentia animae sicut in subjecto. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod gratuita presupponunt naturalia, si proportionaliter utraque accipientur. Et ideo virtus, que est gratuitum operationis principium, presupponit potentiam, que est ejusdem principium naturale; et gratia, que est spiritualis esse principium, presupponit essentiam animae, que est principium esse naturalis. » — Hac ille.

Ad quartum, negatur major, scilicet quod vita spiritualis primo insit animae ut est conjungibilis Deo ut objecto. Nec hoc dicit Augustinus. Est enim aliqua alia conjunctio prior animae a Deum quam per actum secundum vel quocumque principium actus secundi, scilicet per donum gratiae, a qua pululant virtutes et habitus. Unde beatus Thomas, *de Veritate*, ubi supra (q. 27, art. 6), arguit sic (arg. 2 Sed contra) : « Primum donum Dei est in eo quod est in nobis prius, et Deo propinquius. Sed gratia est primum donum Dei in nobis : ipsa enim precedit fidem et charitatem et alia hujusmodi, ut patet per Augustinum, in 2. lib. *de Praedestinatione Sanctorum* (cap. 16) (6). Id autem quod in nobis prius (7) est, et Deo propinquius, est essentia animae, a qua fluunt potentiae. Ergo gratia est in essentia sicut in subjecto. — (Arg. 4 Sed contra). Item, causa secundaria per prius recipit influentiam prime cause, quam effectus cause secundariae. Sed essentia animae est principium potentiarum; et sic est causa secundaria earum, quarum Deus est causa primaria. Ergo essentia animae per prius recipit influentiam gratiae quam potentiae. » — Hac ille, ibidem, cum multis aliis bene facientibus ad propositum.

Ad quintum dicitur quod intellectus est prior voluntate, non solum prioritate originis aut generationis, sed etiam prioritate perfectionis, vel tamquam continens illam eminenter et virtualiter, ut ostendit sanctus Thomas, 4 p., q. 82, art. 3, per totum, et *de Veritate*, q. 22, art. 11, et multis aliis locis. Tunc ad argumentum in oppositum, dicitur quod actus intellectus, simpliciter et absolute loquendo, non ordinatur essentialiter ad actum voluntatis ut ad finem, sed potius se habet ad illum ut causa ad effectum; et similiter intellectus se habet ad voluntatem ut motor ad mobile. Unde hoc argu-

mentum solvit quasi in forma sanctus Thomas, 1 p., ubi supra (q. 82, art. 3). Arguit enim sic, secundo loco : « Res naturales inveniuntur procedere de imperfectis ad perfecta. Et hoc etiam in potentias animae appareat; quoniam proceditur de sensu ad intellectum, qui est nobilior. Sed naturalis processus est de actu intellectus ad actum voluntatis. Ergo voluntas est nobilior et perfectior potentia quam intellectus. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod illud quod est prius generatione et tempore, est imperfectius; quia in uno et eodem potentia precedit actum tempore, et imperfectio perfectionem. Sed illud quod est prius simpliciter, et secundum naturae ordinem, est perfectius; sic enim actus est prior potentia. Et hoc modo intellectus est prior voluntate, sicut motivum mobili, et activum passivo; bonum enim intellectum movet voluntatem. » — Hac ille. — Item, quarta distinctione hujus, q. 4, art. 3, in solutione tertiae questionis, sic dicit : « Imago principaliter consistit in potentia cognitiva; quia ex memoria et intelligentia oritur voluntas. Unde tota imago est in parte intellectiva, sicut in radice. Et ideo omne quod attribuitur homini ratione imaginis, principaliter respicit intellectivam partem, et ex consequenti affectivam: quia etiam ex intellectiva parte habet homo quod sit homo; sed ex affectiva quod sit bonus vel malus. Et ideo, quia character respicit imaginem, principaliter est in intellectiva parte. » — Hac ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit : « Assimilatio hominis ad Deum in bonitate, precipue est per voluntatem. Sed assimilatio in esse et posse, magis est ex parte intellectus; quia ex hoc ipso quod aliquid immateriale esse habet, intellectivum est, et potentiam habet quodammodo infinitam, secundum quod intellectus universalium est, quae quodammodo sunt infinita virtute. Et ideo, cum conformitas characteris respiciat spiritualem potestatem, magis competit parti intellectivae quam affectivae. » — Hac ille.

Ad sextum dicitur primo, quod sanctus Thomas nullibi dicit characterem esse signum vel fundamentum obligationis animae ad Deum. Ideo ad objecta contra hoc, non habemus respondere. — Dicitur secundo, quod, dabo quod character esset tale quid, tamen, quia non solum est signum, sed etiam principium suscipiendi vel ministrandi actiones hierarchicas, que sunt quadam protestationes fidei, ideo potius ponitur in potentia intellectiva quam in voluntativa, quia fides est in intellectu. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 4, in solutione tertii, sic dicit : « Character ordinatur ad ea que sunt divini cultus; qui quidem est quadam protestatio fidei per exteriora signa. Et ideo oportet quod character sit in cognitiva potentia animae, in qua est fides. » — Hac ille. — Item, in praesenti distinctione, q. 4, art. 3, q^{ta} 3, in solutione primi, sic dicit : « Gratia non est

(2) dicendum. — Ad. Pr.

(6) Secondus liber *de Praedestinatione Sanctorum* vulgo *de Dono Perseverantie* nuncupatur.

(7) prius. — Om. Pr.

in intellectiva, neque in affectiva, sed in essentia animæ. Tamen magis de propinquo respicit affectivam: quia gratia datur ad bene operandum; qualiter autem aliquis operetur, præcipue ex voluntate dependet. Sed character datur ad exercendas actiones spirituales alias simpliciter; quod autem bene vel male fiat, hoc est per gratiam et habitum virtutum. Et ideo non est similis ratio de charactere et de gratia. » — Haec ille. — Et ad hoc facit illud quod ipse dicit, 1^a 2^e, q. 56, art. 3: quod scilicet habitus qui sunt in intellectu, in quantum hujusmodi, præstant facultatem agendi, non autem bene vel male agendi, nisi in ordine ad voluntatem; sed habitus qui sunt in voluntate, non solum præstant facultatem agendi simpliciter, sed etiam bene vel male agendi. Ideo character, quo quis potest bene et male uti, potius debet ponи in intellectu quam in voluntate.

II. Ad argumenta Durandi. — **Ad primum** Durandi contra eandem conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 4, q. 2), dicens: « Licit character non faciat subjectum nisi instrumentum agendi vel patienti respectu sacramentorum, quae sunt corporalia; non tamen, propter hoc, debet esse character in parte corporeâ, puta manu que tangit materiam, vel ore quod producit formam. Quia homo est instrumentum Dei animatum, quod per intellectum applicat se ad conferendum sacramentum, vel suscipiendum; ad quod etiam requiritur intentio, que est actus intellectus sicut dirigentis. Unde in primo principio directivo hujus intentionis et applicationis debet esse character, et non in membris exequentibus. Sicut etiam potentia medicativa facit medicum cooperatorem instrumentalem nature, per applicationem medicinalium, cum natura sit principale agens sanitatem; nec, propter hoc, ars medicativa ponitur in ore dictante, nec in manu chirurgizante, sed in intellectu dirigente. Et similiter ars domificativa, et hujusmodi. Et simile est in proposito. Ideo, etc. Nec obstat quod talis directio vel intentio non potest esse in parvulo; quia istud accidit sacramento. » — Haec ille. — Ex quo apparet ad unam partem argumenti, qua arguens vult probare characterem debere ponи in parte organica. — Ad aliam vero partem, qua vult probare quod non debet ponи in intellectu, respondet Petrus (ibid.), dicens: « Sicut scientia practica et factiva sunt (z) principaliter propter opus operatum, nec tamen sunt in potentia elicente illud propter quod sunt principaliter, sed in potentia dirigente et operante; sic character est principaliter propter recipere vel conferre sacramentum, cuius collatio vel susceptio immediate elicetur a potentia organica; non tamen, propter hoc, est in ea, quia

ista collatio et susceptio exterior debet regi et dirigi ab interiori actione vel intentione. Et ideo in intellectu, qui est principium regulans et dirigens in dando et suscipiendo sacramenta, debet ponи character: ut scilicet intellectus per fidem illustratus dirigat intentionem ad conferendum et suscipiendum sacramentum hoc vel illud; quamvis etiam in infidei sit character, et in non characterizato fides, sicut in catechumeno. Et ideo non est sic intelligendum quod character eliciat intentionem, nec dirigat, cum æqualiter non characterizatus intendat, et characterizatus non intendat; sed quia intentio per characterem habet virtutem, quam aliter non habebet. Et ideo dicendum quod character est propter utramque operationem (z), scilicet elicitam et imperatam: non quidem ut elicitam elicitam, vel dirigat, nec ut imperet aliam; sed ut directio et imperium habeant (6) effectum. Qui enim sacramenta ministrat, debet intendere quod faciat illud quod facit Ecclesia. Nec ad hoc juvat directe character, sed facit ut intentio habeat effectum: per characterem enim baptismalem intentio recipiendi alia sacramenta facit ipsum vere suscipere ea; et character sacerdotalis facit quod sacerdos confitendo vel absolvendo efficiat quod intendit. » — Haec Petrus. — Et haec sufficiunt ad primum Durandi: quia, ut patet ex dictis, minor est falsa; nam character perficit actum intellectus; vel appetitus, dando eidem efficaciam, modo supradicto.

Ad secundum dicitur quod responsio ibidem data, bona est satis, et est secundum mentem Sancti Thomae, in parte, ut supra (ad primum Scotti) visum est; licet sanctus Thomas non adducat illud exemplum de prudentia et præsidentia.

Et ad primam improbationem dictæ responsionis, dicitur quod et prudentia est dispositio congruentiae ad susceptionem et executionem potestatis, et similiter econtra potestas est dispositio ad sollicitate acquirendum prudentiam; licet differenter: quia prima dispositio est quasi cause efficientis, ad bene operandum; secunda vero, quasi causæ materialis, est dispositio ad suscipiendum. Sicut enim dicit beatus Thomas, *de Virtutibus*, q. 4, art. 4, in solutione noni argumenti: « Dispositio dicitur tribus modis. Uno modo, per quam materia disponitur ad formæ receptionem; sicut calor est dispositio ad formam ignis. Alio modo, per quam aliquod agens disponitur ad agendum; sicut velocitas est dispositio ad cursum. Tertio modo, dicitur ordinatio aliquorum ad invicem, etc. » Cum vero arguens dicit quod gratia potius deberet dici dispositio ad characterem, etc., — non valet: quia, sicut potentissimis naturalibus intellectu et voluntate nemo bene operatur sine habitu virtutis, nec tamen dicimus quod

(a) sunt. — est Pr.

(z) intellectus. — Ad. Pr.
(6) habeant. — habeat Pr.

habitus sit dispositio ad potentiam naturalem, sed econtra, habens potentias dispositus est ad habitum; sic in proposito. Non tamen necesse est sustinere dictum exemplum per omnia, sed solum quoad hoc quod, sicut habens potentiam dispositus est ad habitum, sic habens characterem dispositus est ad gratiam, quia jam habet quoddam debitum et exigentiam gratiae, sine qua non potest bene uti charactere illo.

Ad secundam improbationem, dicitur quod sanctus Thomas non divertit a suo proposito, per hoc quod dicit characterem esse in alio subjecto quam gratiam, et tamen sit dispositio ad gratiam: Nam, sicut ipse dicit, *ts 2^a, q. 74, art. 4*, in solutione tertii, c*o* dispositio tripliciter se habet ad id ad quod disponit. Quandoque enim est idem, et in eodem; sicut scientia inchoata dicitur esse dispositio ad perfectam scientiam. Quandoque autem est in eodem, sed non idem; sicut calor est dispositio ad formam ignis. Quandoque vero nec est idem, nec in eodem; sicut in his quae habent ordinem ad invicem, ut ab uno perveniantur in aliud; sicut bonitas imaginacionis est dispositio ad scientiam, que est in intellectu. Et hoc modo peccatum veniale, quod est in sensualitate, potest esse dispositio ad peccatum mortale, quod est in ratione. » — Hoc ille. — Cui autem dicit arguens, quod sanctus Thomas assimilat virtutem instrumentalem que est in sacramentis, virtuti instrumentalis que est in semine, etc.; — dicitur quod non oportet quod similitudo currat per omnia. hinc et inde, sed solum quoad hoc quod utraque dicitur esse causa ultime forme dispositive, quia scilicet inducit dispositionem ad formam principalem, sive in eodem subjecto, sive in alio. Et hoc sufficit ad suum propositum.

Ad tertium respondet Petrus (*dist. 4, q. 2*), dicens quod c*o* ratio illa non valet. Quia institutio humana non est causa rerum naturalium. Unde nihil potest addere vel detrahere nature rerum, propter hoc quod rebus naturalibus nihil acquiritur ex pactione humana, quod sit forma realis, sed solum ordo et relatio rationis. Unde omnia iura incorporalia (*z*) de quibus iura loquuntur, non sunt nisi entia rationis. Unde quod ego emendo rem fratrem dominus, dominium, servitus, obligatio, actio, haereditas et omnia hujusmodi sunt entia rationis. Sed Dei ordinatio et institutio sunt causa rerum. Unde, sicut institutio naturae ponit in rebus entitatem nature, sic institutio gratiae ponit entitatem ad gratiam. — Nec est relatio etiam realis: quia illa non est principium agendi, sicut character confirmationis et ordinis; nec patienti, sicut character baptismi. — Nec valet si dicatur quod in politicis dominus potest obligare et alienare rem, non dominus autem non potest; et tamen dominus non dif-

fert a non domino, nisi relatione rationis. Quia ibi non est effectus realis, cum in re per translationem conventionalem nulla fiat realis mutatio, et per consequens non requiritur causa realis. Sed consecratio hominum, que est sacramentum, et omnis vera sacramenti administratio, habet effectum reale. Ergo ibi oportet esse causam realem, et principium reale. — Item: sicut Papa potest committere cui vult omnem consecrationem sacramentalem que non est sacramentum, quia per illam sola relatio rationis acquiritur; sic posset omnem que est sacramentum, si per illam similiter nonnisi relatio rationis acquireretur. Nunc autem non potest, sed aliquam sic, et aliquam non. — Sed quanvis ista ratio equaliter concludat de omni sacramento, tamen est specialis ratio quod Papa plus potest immutare, circa unum sacramentum quam circa aliud. Et quare vel quomodo possit mutare ministerium confirmationis, vel ordinis, dicetur loco suo. Quare autem potest mutare materiam matrimonij, hec sit imperitans, prius id quod de hoc alibi dicetur, ad presentis potest dici, quod sic Deus res administrat, ut eas proprios motus agere sinat, secundum Augustinum (*de Civitate Dei*, lib. 7, cap. 30). Unde, sicut corpus suum facit realiter esse in sacramentalibus speciebus, quas tamen vult ita subesse agentibus naturalibus sicut prius suberant, et secundum variationem illarum diversimode ibi esse (puta si species corruptiuntur, desinit ibi esse; si augmentari, incipit in majori loco esse; si quidem condensantur, in minori); sic virtus quam ponit in verbis, est subjective in aere, sicut et verba, que sunt quidam sonus. Et quandoque verba durant, tandem durat ibi virtus, hoc est, quandoque durat prolatione ultime syllabae, in qua significatio completur; postea desinit ibi esse virtus, sicut columba redit in praecedente (*z*) materiam, peracto officio; vel, si verba cessant antequam motus aer perveniat ad rem in qua debet esse effectus, species soni eodem instanti desertur ad illam rem cum qua subjective est virtus in aere, alias esset sine subjecto, cum sonus sit accidens, cuius subjectum est solus aer. Sic et Deus expressionem consensuum accipit pro instrumentis, dimittens tamen ea sub dispositione praefatorum, sicut natura humana politie requirit. Propter quod, secundum quod Papa dispensat et irritat, est ibi virtus, vel non est; sicut in speciebus corruptis vel non corruptis est vel non est corpus Christi: » — Hoc ille. — Ex quibus satis patet responsio ad tertium Durandi, ut videtur.

Ad quartum, negatur minor: Nam positio nostra non adducit vias obscuras, ad salvandum efficaciam sacramentorum, sane intelligentibus; nec aliquid quod non continetur implicite in dictis Christi, vel discipulorum ejus, aut sanctorum Doctorum. Positio

vero arguentis et aliorum multa falsa et contraria dictis sanctorum et determinationi Ecclesiae continet, ut post dicetur, suo loco. — Item, dato quod positio contraria sit prima facie facillor, non sequitur quod ideo sit prior; quia multa falsa multis veris sunt probabiliora; secundum Philosophum; sicut opposita articulis fidei sunt probabiliora ipsis articulis.

Ad quintum, negatur minor. Nam Dionysius loquitur ibidem de alio signo, quod vocat *lumen*, ut postea dicitur, preter signa exteriora. Et, quidquid sit de Dionysio, tamen Ecclesia determinavit pro charactere quem ponit opinio sancti Thomae, ut postea dicitur.

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scotti contra quartam conclusionem, negatur minor. Sancti enim et Ecclesia ponunt istum characterem quem nos ponimus, sicut patet. Nam Augustinus, in *Epistola ad Donatum presbyterum* (et habetur in Decretis, caus. XXIII, q. 4, ead. *Disputat.*), circa medium, sic dicit: *Vos oves Christi estis, characterem dominicum portatis* (2) *in sacramento, quod accepistis; sed erratis, etc.* Ex quibus Doctores concludunt quod in baptismō imprimuntur characterē. Unde, pro intellectu predictorum, scieendum quod sanctus Thomas, 3 p., q. 66, art. 4, arguit sic, primo loco: «Videtur, inquit, quod baptismus non sit ipsa ablutio. Ablutio enim corporalis transit; baptismus autem permanet. Ergo baptismus non est ipsa ablutio, sed polius *regeneratio*, et *sigillum*, et *custodia*, et *illuminatio*; ut Damascenus dicit (*de Fid. Ort.*) in 4. lib. (cap. 9). » Ecce argumentum. Sequitur responsio: «Dicendum, inquit, quod in baptismō id quod est sacramentum et res (3), scilicet character, et id quod est res tantum, scilicet interior justificatio, permanent; sed character permanet indelebiliter, justificatio autem permanet, sed amissibiliter. Damascenus ergo baptismum diffinit, non quantum ad id quod exterius agitur, quod est sacramentum tantum, sed quantum ad id quod est interius. Unde ponit duo pertinentia ad characterem, scilicet *sigillum* et *custodium*, in quantum ipse character, qui dicitur *sigillum*, quantum est de se, custodit animā in bono. Duo etiam ponit pertinentia ad ultimam rem sacramenti: scilicet *regenerationem*, quae ad hoc pertinet, quod per baptismum homo inchoat novam vitam justitiae; et *illuminationem*, quae pertinet specialiter ad fidem, per quam homo spiritualem vitam accipit, secundum illud Habacuc 2 (v. 4): *Justus autem ex*

fide vivit (2). Baptismus autem est quedam fideli protestatio; unde dicitur *fidei sacramentum*. Et similiter, Dionysius baptismum diffinit per ordinem ad alia sacramenta, dicens, 2. cap. *Eccles. Hierarch.*, quod est *quoddam principium sanctissimorum mandatorum sacre actionis, ad eorum susceptivam opportunitatem formans nostros animales habitus*; et iterum, in ordine ad cœlestem gloriam, que est finis universalis sacramentorum, cum subdit: *Ad supercœlestis quietis anagogem nostrum iter faciens*; et iterum, quantum ad principium spiritualis vite, per hoc quod subditur: *Sacra et dirinissima nostræ regenerationis traditio.* » — Haec ille. — Item, idem Augustinus, secundo libro *Contra Parmenianum*, cap. 13 (et habetur, Caus. I, q. 4, ead. *Quod quidam*): *Si forte militie characterem in corpore suo non militans pavidus exhorruerit (3), et ad clementiam imperatoris configuerit, et, impetrata venia, militare jam ceperit, numquid homine liberato atque correcto character, ille repetitur, an non potius agnitus approbat?* An forte minus haberent sacramenta christiana quam corporalis haec nota, cum vidéamus nec apostolas carere baptismatem, quibus utique per penitentiam redemptibus non restituitur, et ideo amitti non posse judicatur? — Haec ille. — Ubi glossa: *Baptizatus characterem non potest amittere.* — Item, Augustinus, in epistola ad Bonifacium, *de Correctione Donatistarum* (4), cap. 10 (et recitat, Caus. XXIII, q. 7, ead. *Quemadmodum*): *Quarimus perditos, ut de inventis gaudere possimus, dicentes (Luc. 18, v. 32): «Mortuus erat frater noster, et revixit: perierat, et inventus est.* » *Quare ergo me, inquit, non baptizas, ut abluas me a peccatis?* Respondeo: *quia non facio injuriam characteri imperatoris, cum errorem corrigo desertoris;* etc. — Item, in lib. *de Baptismo* (et habetur, *de Consec.*, dist. 4, ead. *Quomodo exaudit (3) Deus*) (5), sic dicit: *Non malignis, sed bonis filiis dictum est: Si cui dimiseritis peccata, dimittentur ei, et reliqua. Habere tamen, et dare, et accipere sacramentum baptismi, satis Ecclesiæ catholice pastribus eluit;* et ovem quæ foris errabat, et

(2) In Vulgata editione verba Prophetæ sunt: *Justus autem in sua fide vivet; quae quidem referuntur, ad Roman., cap. 1, v. 47, hoc modo: Justus autem ex fide vivit.*

(3) *exhorruerit.* — *exhorruit* Pr.

(4) *Bonifacium, de Correctione Donatistarum.* — *Vincentium donatistam* Pr. — Olim can. *Quemadmodum citabatur ex epistola ad Vincentium, in qua non habetur; in editione vero romana Corp. Jur., desumitur ex epistola L. ad Bonifacium, in qua revera invenitur.*

(5) *exaudit.* — Om. Pr.

(6) *portatis.* — *portastis* Pr.
(7) *tantum.* — *Ad.* Pr.

(t) Canon iste confessus est ex verbis Augustini (*de Baptismo, contra Donatistas*, lib. 5), sed hinc inde collectis, et alio modo dispositis, interdumque in epitomen redactis. Cfr. Edit. Lipsiens. 2^{um} Corp. *Juris Canonici*, vol. 1, pag. 1878.

*dominicū characterem foris accepiebat, venientem ad christiane unitatis salutem, ab errore corrigi, characterem tamen dominicū, in ea cognosci potius quam improbari; quandoquidem ipsum characterem multi et lupi et lupis infingunt, qui videntur esse intus, etc. — Ex quibus, et multis aliis dictis Augustini, patet eum sensisse characterem imprimi in baptismo. — Item, quod haec sit sententia catholicae Ecclesiae determinatione suffulta, patet, Extra, *de Baptismo et ejus effectibus*, cap. Majores, ubi sic dicitur: *Item queritur, utrum dormientibus et amētibus sacramenti saltē character in baptizato imprimatur, etc.* Et sequitur, post paucā: *Alli non absurde distinguunt, quod is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et, ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis, sicut et is qui sicut ad baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum, etc.* Et post sequitur: *Hilero qui nunquam consensit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti.* Et sequitur post: *Tunc ergo characterem imprimit sacramentalis operatio, cum obicem voluntatis contrariae non invenit obstantem.* — Haec Alexander III. (z). — Ex quibus patet propositum. Et multa alia ex Decretis et Decretalibus possent ad propositum induci, nisi brevitas studeremus.*

Cum autem dicit arguens, quod verba Dionysii non adducuntur ad mentem ejus, — negatur. Nec valet quod dicit arguens, quod signum de quo loquitur Dionysius, non est aliud quam signatio Hierarchie, et impositio manum, et descriptio baptizandi; que omnia siebant longe ante baptismum, etc. Hoc siquidem non valet, propter multa: — Tum quia falsum assumitur, quod Dionysius non loquitur nisi de unico signo. Quod manifeste patet. Quia de signo interiori dicit quod est *lumen datum a divina beatitudine*. Ut enim allegat arguens, verba Dionysii sunt ista: *Ita (6) sursum actum, divina beatitudo ad sui ipsius participationem recipit, et sic de proprio lumine, quasi quodam signo, ipsi tradit (7), divinum faciens, et communicatorem in Deo manentium.* Et ulterius loquitur de signo exteriori dato a Hierarcha, cum dicit: *divinum faciens, et communicatorem in Deo manentium adimpletionis et sanctæ ordinationis; quorum est signum factum, a Hierarcha accepto data signatio, et sacerdotum salutaris descriptio, etc.* Ubi patet quod istud secundum signum aliud est a primo: quia, secundum verba Dionysii, primum signum est *lumen faciens hominem divinum, et communicatorem adimpletionis*

(x) In edit. Lips. 2^a Corp. Juris Canonici, huc decretalis attribuitur Innocentio III.

(6) *Ita. — In Pa.*

(7) *tradit. — tradat Pr.*

et ordinationis; quorum signum est *signatio Hierarchie*; unde istud secundum signum significat effectum primi. — Tum secundo, quia aliud falsum assumit arguens, scilicet quod Dionysius per tale signum et lumen intelligat aliquid praecedens baptismum; et quod prius loquitur de tali lumine ac signo, quam de actu baptizandi. Hujus enim falsitas manifeste patet. Nam, 2. cap. *Ecclesiastice Hierarchie*, sub rubrica que dicit, *Mysterium illuminationis*, in fine, sic dicit: *Et cum quidam sacerdotum ex descriptione et ipsum et susceptorem (z) praedicaverint, ille quidem a sacerdotibus in aqua agitur, ad Hierarchie manum, ab ipsis manu actus. Hierarcha vero desuper stans, clamatibus rursus sacerdotibus ait Hierarcham in aqua nomen ejus qui perficitur, ter quidem ipsum baptizat, tribus ejus qui perficitur depositionibus et allevationibus, trinam divinæ beatitudinis superelamans Personam, etc. (6).* Ubi patet quod expresse loquitur de actu baptizandi. In sequenti vero rubrica, quae dicitur *Contemplatio* (et nigrum incipit sic: *Hoc quidem est sicut in signis, etc.*), post paucā, loquitur de charactere, dicens: *Nos autem ascensionibus sanctis ad eorum quae sunt principia respicientes, et ista sancte docti, cognoscemus quorum characterum sunt expressiones, et quorum occultorum imagines: nam, sicut in Negotio & de Intelligibilibus et sensibilibus & plane annuntiatum est, quedam quidem sensibiliter facta, sunt intelligibilem imagines, etc. (7).* Ex quo patet quod Dionysius loquitur

(z) *suscceptorem. — susceptionem Pr.*

(6) In textu Dionysii sic legitur: *Kai τινος ιερέως ἐκ τῆς ἀπογραφῆς αὐτῶν τε καὶ τὸν ἀνίδηνον ἀνακηρύξαντος, ὁ μὲν ὑπὸ τῶν ιερέων ἐπὶ τοῦ διδάσκαλος ἔχεται, πρὸς τὴν τοῦ ιεράρχου γέτεα πρὸς αὐτὸν χειραγωγούμενος· ἡ δὲ ιεράρχης ἔνωθεν ἐστήκως, ἀναθησάντω πάλιν ἐπὶ τοῦ ιεράρχου κατά τὸ δέντρο τοῦ τελουμένου τῶν ιερέων, τρίς μὲν αὐτὸν ἡ ιεράρχη βαπτίζει, ταῖς τρισὶ τοῦ τελουμένου καταδύσεσθαι αναδύσεσθαι τὴν τρισὶν τῆς θείας ψυχερίτητος ἐπιθέσης· Παθτασι.* — Quae verba a Corderio hoc modo transferuntur: *Ac sacerdote quopiam e scriptō tum ipsum tum susceptorem proclamante, initiandus sacerdotum manibus in aquam ducitur ad manum pontificis: qui superne astans, ubi sacerdotes secundum aquas, versus pontificem initiandi nomen proclamarunt, ter eum inmergit, sub ternam istam immersionem atque emersionem tres divinæ beatitudinis Personas invocando.* Cfr. Migne, Patr. grec., tom. 3, pag. 393, 398.

(7) *Textus Dionysii:* *Ἔμετος δὲ, ἀναβάσεσιν ιερατος ἐπὶ τὰς τῶν τελουμένων ἀρχὰς ἀναβλέψυντες, καὶ ταῦτας ιερᾶς μυηθέντες, ἐπιγνωσθεῖσα τίνον εἰσὶ χαρακτήρων τὰ ἔκτυπλα, καὶ τίνον ἀρχῶν αἱ εἰκήνες. Εστὶ γὰρ, ὃς ἐν τῇ Ηρητικῇ τε καὶ αἰσθητῶν πραγμάτεις σχετῶς διηγέρεται, τὰ μὲν αἰσθητὰ οὐρά τῶν νοητῶν ἀπεικονίσεται. — Versio Corderii: *Nos autem, cum sacris ascensionibus sacramentorum principia contemplantes, sacra eadem afflata perceperimus, cognoscemus quorum characterum sint effigies, et quarum rerum occultarum imagines existant. Ut enim in Operc. « De intelligibilibus ac sensibilibus » perspicue declaratum est, sensibilia sacramenta, simulacra sunt intelligibilem. Cfr. Ibid. pag: 397, 398.**

de aliquo charactere intelligibili, designato per signa sensibilia sacramentalia. — Item, post multum et magnum processum, iterum loquitur de illo lumine intelligibili : *Si bonum, inquit, ordinacionis principium est, secundum quod sui ipsorum sunt cognitrices mentes, que ad proprium visibile naturae recurrit, in principio quidem quis ipse est videbit; et hoc sumet ex respectu ad lumen primum, sanctum donum* (2). Item, post multa, subdit verba que primo allegat arguens : *Ita (6) sursum actum, divina beatitudo, etc.* Ex quo patet quod arguens importune exponit Dionysium; et forte non advertit quod in rubrica primo allegata Dionysius ponit ritum sacramenti, et in alia exponit significationem ritus, sicut manifeste patet legenti ambas rubricas.

Cum autem ultern dicit arguens, quod auctoritas Damasceni inepte adducitur; — negatur. Nec valet quod dicit, quod nos de duabus sententiis separatis faciamus unam aut continuam. Nam, sicut patet ex praecedentibus et sequentibus illius capituli, in illa auctoritate Damascenus exprimit effectum huius baptismi. Unde arguens male punctuat dicta Damasceni; et facit versum, ubi non est; et de propositione que est de copulato extremo, null facere copulativam. Unde littera debet sic continuari : *Visibilitia enim symbola notae eorum que intelliguntur sunt. Regeneratio namque secundum animam sit. Fides enim filios facere novit, etsi sint creaturæ, per Spiritum, et in pristinam reducere beatitudinem. Igitur peccatorum quidem remissio omnibus similiter per baptismum datur; gratia autem Spiritus, secundum proportionem fidei et purgationis (7).* Igitur nunc quidem per baptismum primitias Spiritus Sancti accipimus; et principium alterius vitæ fit nobis, regeneratio, et sigillum, et custodia, et illuminatio. — Haec Damascenus (8). — Ex quibus patet, primo, quod bapti-

simus exterior non est regeneratio, sed signum, et causa, vel principium effectivum intelligibilis regenerationis, que sit in anima; et consequenter false exponit Damascenum dicentem quod baptismus est regeneratio. Secundo, sequitur quod, secundum Damascenum, baptismus non est sigillum, nec custodia, nec illuminatio; sed est signum et causa predictorum. Tertio, sequitur quod baptismus non est principium alterius vitæ, accipiendo principium pro prima parte rei; sed est principium productivum instrumentale alterius vitæ; et consequenter, totum hoc pertinet (2) ad eamdem propositionem de copulato predicato, scilicet hanc : *Per baptismum primitias Spiritus Sancti accipimus, et principium alterius vitæ fit nobis*; etc.; ut sit sensus, quod baptismus operatur in nobis omnia illa. Quarto, sequitur quod, dato quod novus versus inciperet ibi, et principium alterius vitæ, etc., adhuc habemus propositum: quia, cum baptismus non sit essentialiter principium alterius vitæ, nec regeneratio, nec sigillum, oportet quod sit causa predictorum. Et ideo, in illa oratione secunda, ad hoc quod habeat perfectum sensum, oportet quod intelligatur (6) hoc complexum per baptismum. — Dicitur ulterius, quod in toto nono capitulo Damascenus non loquitur in materia baptismi de signo crucis, nec in decimo capitulo, ubi loquitur de fide; sed in undecimo, quod solum est de cruce. Nec de illo undecimo capitulo (7) adducimus auctoritatem, sed solum de nono, quod expresse loquitur de sigillo invisibili, quod dicitur character.

Ex quibus patet quod antiqui melius intelligebant Dionysium et Damascenum quam Scotus, et quod expositio antiquorum stat in suo vigore, expositio vero Scotti nulla est.

Ad secundum principale patet responsio per predicta: quia Augustinus in multis libris et epistolis suis locutus est de charactere baptismi, et quod indelebilis characteris arguit initerabilitatem baptismi. Sed Scotus forte non omnia dicta

(2) Textus Dionysii : 'Αλλ' ἐπείπερ εύταξις ἔστιν ἀρχὴ τὸ Θεοῖς λεπάς, καθ' ἣν ἔστιν ἐπιγνώμονες οἱ λεποὶ ψεις, ὁ πρὸς τὸ οἰκεῖον τῆς φύσεως ἡρατῶν ἀνατρέχων, ἐν ἀρχῇ μὲν δύσις ποτὲ ἔστιν, αὐτος οὐκέται, καὶ τοῦτο λήφεται πρῶτον ἐν τῆς πρὸς τὴν φύσιν ἀνανεύσεως λεπὸν δῶρον. — Versio Corderii : *Sed quoniam divinum Numen sacra disciplina principium exercitat, qua sanctæ mentes in sui deveniunt cognitionem; quisquis ad insitum naturæ lumen recurrerit, principio quidem quis tandem ipse sit videbit, hocque lucis accessione munus sacrum referet.* Cfr. ibid., pag. 399, 400.

(6) Ita. — In Pr.

(7) purgationis. — purgatio Pr.

(8) Textus Damasceni : Τὰ γὰρ δρατά, σύρβοις τῶν νοούμενων εἰστὶν ἡ μέντοι ἀναγέννησις κατὰ ψυχὴν γίνεται· πίστες γὰρ νιοθετεῖ οἴδε, καί τοι ὅντας κτίσματα διὰ τοῦ Ιησού χριστοῦ, καὶ εἰς τὴν ἀρχαῖαν ἄγειν μακαριότητα. Η μὲν οὖν τῶν ἀμφιτιῶν ἀφεσις, πᾶσιν δύοις διὰ τοῦ Ιησού χριστοῦ δίδοται· ἡ δὲ χάρις τοῦ Ιησού χριστοῦ κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως καὶ τῆς προκαθήρσεως. Νῦν μὲν οὖν διὰ τοῦ Ιησού χριστοῦ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ ἀγίου Ιησού χριστοῦ λαμβάνομεν, καὶ ἀρχὴ ἐπέρου βίου γίνεται ἡμῖν ἡ παλιγγενεσία, καὶ σφραγίς, καὶ φυλακτήριον, καὶ φωτισμός. — Translatio Billii emendata : *Res enim visibles,*

earum que mente percipiuntur signa sunt. Regeneratio porro in anima perficitur. Fides quippe vim eam habet, ut quanvis in rebus creatis simus, per Spiritum nos in Dei filios adoptet, atque ad pristinam felicitatem velut postliminio revocet. Quanvis autem peccatorum remissio omnibus per aquæ baptismum detur: Spiritus tam erga gratia pro fidei ac præxiæ purgationis modo conceditur. Et nunc quidem Spiritus Sancti primitias per baptismum accipimus, et regeneratio, alterius nobis vita initium, et signaculum, et præsidium, et illuminatio efficitur. — Cfr. Migne, Patr. græc., vol. 94, pag. 1121, 1122. — Versio quam Auctor assert, est illa qua usi sunt Magister Sententiarum, D. Thomas aliquis subinde theologi, usque ad initium seculi decimi sexti. Attribuitur Burgosianus, civi Pisano. Cfr. ibid. pag. 781.

(2) pertinet. — pertineat Pr.

(6) intelligatur. — intelligitur Pr.

(7) Ubi ponitur nono, decimo, undecimo, Pr. ponit primo, secundo, tertio.

Augustini legerat. — Dicitur ulterius, quod Gratianus locutus est de charactere, *de Consec.*, dist. 4, cap. *Quomodo exaudit* (2) Deus, ut supra recitatum est (ad primum). Magister autem *Sentent.* loquitur de hoc charactere, sextâ distinctione hujus, cap. *De his vero qui baptizantur*, etc., in fine (6); et, dato quod non faceret mentionem, sufficiunt auctoritates aliorum.

Ad tertium principale dicitur; negando minorem, scilicet quod character frustra ponatur.

Et ad primam probationem ejus, dicitur primo, quod character ponendus est tanquam dispositio ad gratiam: non quidem ex parte Dei agentis; sed ex parte susceptivi. Quia, secundum praesentem legem, nemini datur gratia, nisi sit ad eam dispositus, aliqua dispositione superaddita essentiae et potentissimæ animæ, se habente per modum actus primi, vel per modum actus secundi. Parvuli autem non habent secundam dispositionem, cum non habeant actum liberi arbitrii. Ergo restat quod habent primam, que dicitur character vel ornatus habitualis. Et de hoc alias plura dicta sunt, prima distinctione hujus. — Et cum dicit arguens quod anima non habens actu peccatum, est summe disposita ad gratiam; — negandum est. — Cum ulterius dicit, quod sine tali signo Deus possit assistere baptizato, etc.; — dicitur quod Deus non alligavit potentiam suam sacramentis, quin sine illis posset conferre gratiam; et, per consequens, nec character. Tamen, secundum ordinationem sue sapientie, aliter instituit, ut hominis sanctificatio per sensibilia fiat. Unde ista ratio, si aliquid valeret, sequeretur quod frustra instituta essent sacramenta, quia sine illis posset Deus conferre gratiam. — Cum autem, in confirmatione, dicitur quod fidei baptizatus, licet habeat characterem, non accipit gratiam, nisi peniteat; — dicitur quod talis accipit gratiam per poenitentiam, tanquam per removens prohibens, sed per characterem, sicut per causam per se disponentem ad gratiam, ut ostendit beatus Thomas, praesenti distinctione, q. 3, art. 2, q^{ta} 3, et, 3 p. (q. 69, art. 10), ut post dicetur.

Quantum vero ad alia que objicit contra secundum effectum characteris, scilicet quod est signum assimilativum, etc.; — dicitur quod ista ratio multos habet defectus, secundum quod patuit in praemissis. Tum quia character non solum est signum assimilativum, immo est principium activum, vel passivum; et ideo oportet quod sit forma absoluta et inhaerens. Tum quia character est signum permanens post receptionem baptismi; ideo non sufficit

(a) *exaudit.* — Om. Pr.

(b) In sexta distinctione, in paragragho qui habet titulum, *Quibus licet baptizare*, Magister loquitur de illis qui ab hereticis baptizantur, et allatis textibus Bedae et Augustini, subiungit: « Ex his aperte colligitur quod qui etiam ab hereticis baptizati sunt, servato charactere Christi, rebaptizandi non sunt. »

dicere quod sit ipsa receptione baptismi transiens in praeteritum. Tum quia non est simile de professione religionis humanae, que nullum absolutum causat in profidente, et de professione christiana religionis per susceptionem sacramenti, quod est instrumentum Dei animam sanctificantis et gratiam in ea cau-santis. Tum quia character est signum spirituale; signum vero religionis est sensibile. Tum quia plus efficit divina institutio quam humana ordinatio vel promissio. Tum quia auctoritates Sanctorum sunt in oppositum. Et propter multa alia patet nullitas argumenti.

Quantum autem ad illa que arguens objicit de tertio effectu, scilicet quod character est signum configurativum, etc., — patet responsio ex predictis: scilicet quia character non solum est signum, sed principium activum vel passivum; ideo non potest esse aliquid transiens in praeteritum, nec relatio realis aut rationis; sed oportet quod sit aliquod absolutum permanens, sicut character et nota militie Principis, ut siepe dictum est.

Quantum ad illa que objicit de quarto effectu, scilicet quod est signum rememorativum, etc., — patet solutio ex predictis. Nam non solum ponitur ut signum rememorativum, sed etiam ut principium activum vel passivum. Tum quia, concesso quod ponatur ut tale signum, ratio in oppositum non valet. Dicitur enim quod tale signum ponitur propter ipsum sacramentum in se, et propter ipsum suscipientem, et propter alios. De hoc sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 2, q^{ta} 2, in solutione primi, sic dicit: « Character non est signum tantum ut distinctionis nota, sed ut distinctionem causans, sicut et alia sacramentalia signa; et ideo eo indigetur ad distinctionem faciendum. » Item, in solutione secundi, sic dicit: « Istud distinctionis signum est, et propter ipsum hominem qui suscipit, qui eo accipit distinctum posse ab aliis; et propter alios homines, qui eum admittunt ad spirituales actiones, ex consignatione sacramentali exteriori interiorem perpendentes; et quoam Deum, qui eius actionibus spiritualibus efficaciam præbet. » — Hec ille.

Cum autem dicit arguens, quod charitas non habet aliquid signum rememorativum, etc., — non valet. Unde sanctus Thomas, ibidem, in quarto loco, arguit sic: « Charitas est excellentior virtus quam fides. Sed charitati non ponitur aliquid signum distinguens, nec aliis virtutibus. Ergo nee fidei debet ponи. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod fides homini nota est, charitas autem incerta. Nihil enim est alicui certius sua fide, ut Augustinus dicit (43. *de Trinitate*, cap. 4) (2); sed an charitatem habeat,

(a) Verba Augustini sunt: *Fidem ipsam videt quisque in corde suo esse... eam tenet certissima scientia, clamataque conscientia.*

non est alicui certum. Et ideo distinctio data magis respicit fidem quam charitatem vel alias virtutes. Vel dicendum quod distinctio ista praeceps attenditur quantum ad operationes que sunt in sacramentis, in quibus maxime operatur fides. » — Hæc ille. — Item, quinto loco, arguit sic : « Contrarium sufficienter distinguit a contrario. Sed fides est infidelitati contraria. Ergo sufficienter fideles (z) ab infidelibus distinguit; et ita non oportet quod per characterem distinguantur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod fides sufficienter distinguit fideles ab infidelibus, quantum ad actus fidei, sed non quantum ad actus spirituales qui (ε) competit fidelibus; quia ad hos oportet quod spiritualis potentia addatur. » — Hæc ille. — Item, tertio loco, arguit sic : « Homo non configuratur Trinitati nisi per imaginem et similitudinem. Sed prima configuratio est per naturam, et secunda per gratiam. Ergo character nullo modo configurat. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod configuratio ista attenditur ad Deum secundum participationem divinae potestatis, que non est neque per gratiam virtutum, neque per naturam. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quale signum est character, et ad quid penitur, et quomodo potius ponitur ut signum rememorativum sacramenti quam charitatis vel fidei sine sacramento; et similiter, quomodo character penitur propter ipsum suscipientem, et propter Deum, et propter proximum, aliter tamen et aliter.

Cum autem dicitur quod non debet poni in damnatis aut beatis, propter majorem confusionem, aut gloriam (γ); — dicitur quod hoc falsum est. Primo quidem de beatis : quia, sicut in via debet poni signum spiritualis potestatis, non autem charitatis, ratione iam dicta; ita et in patria remanebit spiritualis potestatis signum acquisitum in via, non autem signum charitatis acquisitum in via, sed alia signa ibidem erunt, scilicet excellentior gloria essentialis. Et proportionaliter dicendum de damnatis : quia major damnatio erit signum casus a majori charitate, et ita erit ibi signum novum, non in via impressum; secus est de signo sacramenti. De praedictis sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 4, art. 3, q^{ta} 4, in solutione secundi, sic dicit : « Per characterem homo consignatur ad hoc (δ) quod sit de cœtu fidelium, et particeps hierarchiarum actionum. Ecclesiastice autem hierarchie succedit celestis. Et ideo ad communionem fidelium in Ecclesia triumphant, et ad participationem coelestis hierarchiae actionum, character in patria perficiet; et sic erit ad alios actus, sicut virtutes et dona. In dam-

natis etiam manet. Sed hoc per accidens est, et praeter intentionem imprimenter characterem, quod recipiens damnatur. Et ita non est ibi ordinatus ad aliquem finem. Tamen Deus, qui nihil inordinatum relinquit, elicit ex hoc aliquod bonum, scilicet quod appareret justior eorum damnatio qui tantum munus neglexerunt. » — Hæc ille. — Item, 3 p., q. 63, art. 5, in solutione tertii, sic dicit : « Quamvis post hanc vitam non remaneat exterior cultus, remanet tamen finis illius cultus. Et ideo post hanc vitam remanet character, et in beatis, ad gloriam, et in malis, ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam, et in his qui vicerunt, ad gloriam, et in his qui sunt vieti, ad poenam. » — Hæc ille. — Ex quibus appetit soliditas praedictorum.

Ad illud autem quod arguens addit, de sacerdote, etc.; — dicitur quod non est inconveniens quod sacerdos beatus habeat aliquod gaudium accidentale, et excellentiam accidentalem beatitudini; supra omnes beatos non sacerdotes, nec habentes aliquid supereminenter continens characterem sacerdotalem (quod dico propter beatam Virginem, que, licet non habeat talis characterem, habet tamen aliquid eminentius potestate sacerdotiali, episcopali, papali, ut pulcherrime declarat Dominus Albertus in (z) *Mariali*, loquens de gratiis sacramentalibus); sicut etiam praedicator, virgo, martyr habent aureolas quas ceteri non habent, licet majoris meriti, ut habet declarari, 49. distinct. hujus.

Quod ulterius addit de Christo, — nihil valet penitus. Quia, licet Christus non habeat characterem, habet tamen aliquid supereminenter continens characterem, ut alias (ε) dictum est. Unde sanctus Thomas, 3 p., q. 63, art. 5, sic dicit : « Character sacerdotialis est quadam participatio sacerdotii Christi in fidelibus ejus, ut scilicet, sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles ejus ei configurentur (γ) in hoc quod participant aliquam spiritualem (δ) potestatem respectu sacramentorum et eorum que pertinent ad divinum cultum. Et, propter hoc, Christo non competit habere characterem; sed potestas sacerdotii ejus comparatur ad characterem sacerdotum, sicut illud quod est plenum et perfectum, ad aliquam sui participacionem, etc. » — Hæc ille. — Item, distinctione praesenti, q. 1, art. 3, q^{ta} 5, sic dicit : « Christus nullum characterem habuit : quia ipse habuit potestatem plenitudinis in sacramentis, quasi ea instituens, et eis efficaciam præbens. Unde, sicut poterat inducere effectum sacramenti in aliquo sine sacramento exteriori, ita, ex parte ipsius, ad hoc non requirebatur aliquid sacramentale interius. »

(x) *fideles*. — *fides* Pr.

(ε) *qui*. — *que* Pr.

(γ) *confusionem aut gloriam*. — *gloriam aut confirmationem* Pr.

(δ) *ad hoc*. — Om. Pr.

(x) *in*. — Om. Pr.

(ε) Cfr. dist. 1, q. 1, art. 3, § 3, III, ad 2^{um}.

(γ) *configurentur*. — *configurantur* Pr.

(δ) *spiritualem*. — *specialem* Pr.

Item, in solutione primi, sic dicit : « Christus fuit sacerdos, quasi sacerdotium instituens; et ejus non est habere characterem, sed illius qui sacramentum aliunde suscepit, ut per characterem principali sacerdoti configuretur. » Item, in solutione secundi, sic dicit : « Aliquid est perfectionis in nobis, quod non esset in Christo; sicut gratia adoptionis. Et similiter est de echaractere, quia poneret in eo spiritualem (x) potestatem coaretatam, et ab alio derivatam. » — Hæc ille. — Ex quibus melius intelliguntur predicta. Item, 3 p., q. 22, art. 1, in solutione primi, sic dicit : « Potestas hierarchica convenit quidem angelis, in quantum et ipsi sunt medi inter Deum et hominem, ut patet per Dionysium, in lib. *Cał. Hierarch.* (cap. 9); ita quod ipse sacerdos, in quantum est medium inter Deum et populum, angeli nomen habet, secundum illud Malach. 2 (v. 7) : *Angelus Domini exercituum est.* Christus autem major angelis fuit, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, in quantum habuit plenitudinem gratiae et gloriae. Unde etiam excellentiori modo hierarchiam seu potestatem sacerdotalem pre angelis habuit; ita etiam quod ipsi angelii fuerunt ministri sacerdotii ejus, secundum illud Matth. 4 (v. 11) : *Accesserunt Angeli, et ministrabant ei, etc.* »

Ad illud vero quod objicitur de beata Maria, et Patribus veteris Testamenti, patet solutio per predicta. Tum quia nullum inconveniens est dicere quod ipsa non habet omnia gaudia accidentalia beatitudini, nec omnes characteres, sicut etiam in via non habuit usum omnium gratiarum gratis datarum, ut ostendit sanctus Thomas, 3 p., q. 27, art. 3, in solutione tertii, ubi sic dicit : « Non est dubitandum quin beata Virgo acceperit excellenter donum sapientiae, et gratiam virtutum, et etiam gratiam prophetiae, sicut habuit Christus. Non tamen accepit ut haberet usus harum et similia gratiarum, sicut habuit Christus, sed secundum quod conveniebat conditioni illius. Habuit enim usum sapientie in contemplando, secundum illud Lucae 2 (v. 49) : *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo;* non autem usum sapientie quantum ad docendum, eo quod hoc non conveniebat sexui mulierum, secundum illud 1. Timoth. 2 (v. 12) : *Docere autem mulieri non permitto.* Miraculorum autem usus sibi non competit, dum viveret : quia tunc temporis confirmandam erat doctrina Christi miraculis; et ideo soli Christo, et discipulis ejus, qui erant bajuli doctrinae Christi, conveniebat miracula facere. Propter quod etiam de Joanne Baptista dicitur, Joan. 40 (v. 41), quod *signum nullum fecit,* ut scilicet omnes in Christo intenderent. Usum autem prophetiae habuit, ut patet in cantico quod fecit (Luc. 1, v. 46, etc.) :

(x) *spiritualem. — specialem* Pr.

Magnificat anima mea Dominum. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod sicut non habuit usum omnium gratiarum in via, nec omnes characteres, nec in gloria oportet quod habeat omnes excellentiæ accidentales, potissimum illas quæ suo sexui non competunt: Tum secundo; quia, ut dictum est, secundum Albertum, ipsa habuit aliquid excellentius illis characteribus in via, et consequenter excellentiora gaudia in patria.

Ad quartum principale, negatur antecedens : quia donum prophetie est donum Dei, et tamen datur alieni actualiter peccanti mortaliter; sicut patet de Balaam, cui actualiter peccanti peccato avaritie, infidelitatis, et idolatriæ, et odii populi Dei, et aliis multis peccatis, data fuit prophetia, sicut habetur, *Numeror.* 23 et 24. Et potissimum non est inconveniens, dona Dei quæ subjective pertinent ad intellectum, dari actualiter peccanti : quia peccatum mortale directe contradicit gratiae, quæ est in essentia animæ, et charitati, quæ est in affectu subjective; non autem omnia peccata contrariantur fidei, aut characteri, aut prophetie, quæ sunt in intellectu. De hoc in suo simili sanctus Thomas, 2^a 2^e, q. 472, art. 4, sic dicit : « Prophetia potest esse sine charitate. Quod apparet ex duobus. Primo quidem, ex actu utriusque : nam prophetia pertinet ad intellectum, cuius actus precedit actum voluntatis, quam perficit charitas; unde et Apostolus, 1. Corinth. 13 (v. 2), prophetiam communerat aliis ad intellectum pertinentibus, quæ possunt haberi sine charitate. Secundo, ex fine utriusque, etc. » — Hæc ille. — Sic, in proposito, dieo de charactere, quem ponimus subjective in intellectu, quod potest esse sine charitate, immo in actualiter peccante mortaliter. De hoc sanctus Thomas, in praesenti distinctione, q. 3, art. 2, in solutione primæ questione, sic dicit : « Duplex est effectus baptismi. Primus, qui est res et sacramentum, scilicet character. Et quia character non imprimitur ad preparandum hominis voluntatem ut aliquid bene fiat, cum non sit habitus, sed potentia, ut dictum est (ibid., q. 1, art. 1, ad 1^{um}, et art. 3, in corp. art.); ideo hunc effectum baptismi indispositio voluntatis non impedit, dummodo adsit aliqualis voluntas suscipiendi sacramentum. Alius effectus est, qui est res et non sacramentum, scilicet gratia, et ea quæ ad ipsam consequuntur, per quæ voluntas hominis preparatur ut bene velit et bene operetur. Et ideo ad hunc effectum percipiendum non sufficit quilibet voluntas sacramentum percipiendi; sed requiritur talis voluntas, a qua removetur omnis indispositio contraria gratiae, quia contraria non se compatiuntur. Unde, remanente contraria dispositione, baptismus ultimum effectum suum habere non potest. » — Hæc ille.

Cum autem dicit arguens, quod opera Dei perfecta sunt, et quemcumque curat, perfecte curat, etc.,

— patet quid dicendum, ex predictis. Tum quia non omne opus Dei est perfectum perfectione gratiae gratum facientis, nec semper in esse naturae, licet aliqualiter sit perfectum. Tum quia character non curat, nec directe datur ad bene vel male agendum. Et ideo factus recipiens characterem, non curatur a Deo secundum totum, nec secundum dimidium, nec recipit dimidiā veniam; immo nullam. Unde argumentum non valet. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 68, art. 4, in solutione tertii, sic dicit: « Non est, inquit, per impressionem characteris baptismalis aliquis dispositus ad gratiam, quandom appareat in eo voluntas peccandi; quia Deus neminem ad virtutem compellit, ut dicit Damascenus (*de Fide Orth.*, lib. 2, cap. 30). » — Haec ille.

Ad quintum principate dicitur, ad primam divisionem ibi factam, quod character est donum Dei, et non est gratia gratum faciens, sed est dispositio habitualis ad illam; non tamen totalis dispositio in adulto, qui potest accedere factus ad baptismum; est tamen sufficiens dispositio in parvulo, in quo non potest habere locum fictione. — Dicitur secundo, pro alia divisione, quod character est donum Dei; et est utile, quantum est de se, ipsi habenti, quia disponit eum ad receptionem gratiae, et per eum adseritur certui fidelium, et efficitur particeps hierarchicarum actionum. Quod autem habenti characterem non detur gratia, accidit characteri, ex defectu suscipientis, ponentis obstaculum; quo remoto, character habet suum effectum. Insuper, talis character utilis est aliis, potissimum character ordinis, cum sit potestas ministrandi populo sacramenta. Character etiam baptismalis utilis est populo, ad hoc quod sciat quem debet admittere vel repellere a perceptione divinorum, et quia auget populum Dei numero semper in actu, et merito in potentia proxima. De predictis sanctus Thomas, 3 p., q. 69, art. 10, sic dicit: « Baptismus est quedam spiritualis regeneratione. Cum autem aliquid generatur, simul cum forma recipit effectum formae, nisi sit aliquid impediens, quo remoto, forma rei generatae perficit suum effectum; sicut simul cum corpus grave generatur, mouetur deorsum, nisi sit aliquid prohibens, quo remoto, statim incipit moveri deorsum. Et similiter, quando aliquis baptizatur, accipit characterem quasi formam, et consequitur proprium effectum, qui est gratia remittens omnia peccata. Impeditur autem quandoque per fictionem. Unde oportet quod, ea remota per penitentiam, baptismus statim consequatur suum effectum. » — Haec ille. — Item, in solutione secundi, sic dicit: « Fiction non removetur per baptismum, sed per penitentiam; qua remota, baptismus aufert omnem culpam, et reatum omnium peccatorum præcedentium, et etiam simul existentium cum baptismo. Unde Augustinus (*de Baptismo, contra Donatistas*, lib. 1, cap. 12) dicit: *Solvitur hesternus dies, et quid-*

quid superstes solvitur, et ipsa hora momentumque, etc. Et sic ad effectum baptismi consequendum concurrit baptismus et penitentia; sed baptismus sicut causa per se agens, penitentia vero sicut causa per accidens, id est, removens prohibens. » — Haec ille. — Et attende quod baptismus, quoad illud quod est sacramentum tantum et non res, non est regeneratio formaliter, sed effective; quantum vero ad id quod est res tantum, scilicet gratia, vel res et sacramentum, scilicet character, est regeneratio formaliter et per essentiam.

Ad sextum dicitur quod character non ideo dicitur indelebilis quia Deus illum et subjectum ejus non posset delere conjunctim et separatum, de sua omnipotentiali absoluta; sed ideo quia, de potentia Dei ordinata, non potest deleri, quia sic habet ordo divinae sapientie, quod non deleatur. Cujus rationem assignat sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 3, in solutione quartae quæstiuncule, dicens: « Impressio characteris est per quamdam animæ rationalis sanctificationem, prout sanctificatio est deputatio alienus ad aliquod sacrum. Ad hanc autem sanctificationem non magis active operatur anima sanctificanda, quam aqua sanctificanda, vel oleum, vel chrisma, ad sui sanctificationem; nisi quod homo se subjicit huic sanctificationi per consensum, res autem predictæ sine consensu subiectiuntur, quia libet arbitrio carent. Et ideo, qualitercumque anima varietur per proprias operationes, nunquam characterem amittit; sicut nec chrisma, vel oleum, aut panis consecratus, nunquam sanctificationem perdunt, qualitercumque transmutentur, dum tamen non corruptantur. » — Haec ille.

— Item, in solutione primi, sic dicit: « Causa indelebilis characteris est et ex parte subjecti, quod est incorruptibile, et ex parte causæ, quæ invariabilis est. Gratia autem habet aliquo modo causam, non efficientem, sed disponentem, ex parte subjecti: quia, secundum Augustinum (*de Verbis Apost.*, serm. 15, cap. 11), *qui creavit te sine te, non justificabit te sine te*. Et ideo per indispositionem subjecti gratia amittitur. » — Haec ille.

— Item, 3 p., q. 63, art. 5, sic dicit: « Character sacerdotalis est quedam participatio sacerdotii Christi in ejus fidelibus: ut scilicet, sicut Christus habet plenam spiritualis sacerdotii potestatem, ita fideles ei configurentur (z) in hoc quod participant aliquam spiritualem potestatem respectu sacramentorum et eorum que ad cultum Dei pertinent. Et propter hoc etiam Christo non competit habere characterem; sed potestas sacerdotii ejus comparatur ad characterem sacramentorum, sicut illud quod est plenum et perfectum, ad aliquam sui participationem. Sacerdotium autem Christi est aeternum, secundum illud Psalmi (109, v. 4): *Tu es*

(z) configurentur. — configurantur Pr.

sacerdos in aeternum, etc. Et inde est quod omnis sanctificatio que fit per sacerdotium ejus, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis; nam ecclesie vel altaris semper manet conservatio, nisi destruantur. Cum ergo anima sit subiecta characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides, manifestum est quod sicut intellectus est perpetuus et incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima. » — Hæc ille.

Ad confirmationem dicitur quod similitudo non valet; quia nec materia nec forma sacramenti est incorruptibilis, sicut anima; nec virtus datur sacramentis ad hoc ad quod character anime, ut ex precedentibus satis patet; et ideo virtus sacramentorum transit, character manet.

Ad septimum dicitur quod, secundum ultima dicta beati Thomæ (2), circumcisio nullo modo effective causabat gratiam, sed solum erat causa *sine qua non*. Secus de sacramentis novæ legis. Et ideo non oportebat quod aliquam dispositionem actualē aut habitualem imprimere anime, sed solum corpori. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 70, art. 4, ut sepe recitatum fuit (6), sic dicit: « Apostolus dicit, *Romanor. 4* (v. 11), quod *Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum justitiae fidei*, quia scilicet justitia ex fide erat significata, non ex circumcisione significata. Et quia baptismus operatur in virtute passionis (7) Christi, ideo baptismus imprimet characterem incorporantem hominem Christo, et copiosorem gratiam confert quam circumcisio, etc. » De hoc plura dicuntur sunt, dist. 1. Eamdem sententiam expressius ponit, 3 p., q. 63, art. 4, in solutione tertii, ubi dicit: « Sacraenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem ad operandum aliquem spiritualem effectum. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character; sed sufficiebat ibi corporalis circumcisione, quam Apostolus *signaculum nominat, Romanor. 4* (v. 11). » — Hæc ille.

Ad argumentum in oppositum questionis, respondeat sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 1, in solutione primi, dicens: « Character, inquit, non est habitus, nec passio, sed potentia quedam consequens animam, secundum quod est in vita spirituali regenerata; et ideo non oportet quod omnibus insit, vel quod a natura insit. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(2) In *Summa theologiae*, q. 70, art. 4, ubi emendat quae dixerat, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 2, art. 4, q^{ta} 3.

(3) Cfr. presertim, dist. 1, q. 2, concl. 2.

(7) *passionis. — panis Pr.*

DISTINCTIO V. ET VI.

QUESTIO I.

UTRUM PARVULI INFIDELIUM SINT INVITIS PARENTIBUS BAPTIZANDI



RECA quintam et sextam distinctiones
4. *Sententiæ*, queritur: Utrum parvuli infidelium sint invitis parentibus baptizandi.

Et arguitur quod sic. Nam magis debet horum subveniri contra periculum mortis aeternæ, quam contra periculum mortis temporalis. Sed puer in periculo mortis temporalis existenti, est subveniendum, etiam si parentes per malitiam contraniterentur. Ergo multo magis est subveniendum pueris infidelium contra periculum mortis aeternæ, etiam invitis parentibus.

In oppositum arguitur. Quia in *Decretis*, dist. 45 (can. 5), ex Concilio Toletano, sic dicitur: *De Iudeis præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae.*

In hac quæstione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES.

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod pueri infidelium filii, nondum habentes usum rationis, non sunt baptizandi, invitis parentibus.

Hanc conclusionem ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 68, art. 10, ubi sic dicit: « Pueri infidelium filii, aut habent usum rationis, aut non habent. Si habent, jam, quantum ad ea quæ sunt iuris divini vel naturalis, incipiunt sue potestatis esse; et ideo, propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contraherè. Et ideo tales licet possunt moneri et induci ad baptismum suscipiendum. Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu sibi ipsis providere non possunt. Unde etiam de pueris antiquorum dicitur quod salvabantur in fide parentum. Et ideo contra justitiam